ſonus exauditur in templo Dei. Tu vero, ô bone, Eccleſiam Dei ſanctam impleri vis clangore tubarum, ictibus cædentium, morientium eiulatibus. Audi, ergo, demùm, tu, qui mortalium omnium iudicia ſuperbe refugis, quod, olim, Robertus noſter ſanctus pariter et doctus Lincolnienſis Epiſcopus præceſſori tuo feciſſe dicitur, id ego tibi nunc facio: Fas mihi ſit indicere tibi verendum omnipotentis Dei Tribunal, pro quo tremens horrenſq; tibi anima brevi ſiſtetur, ſanguinolenti iſtius conſilii rationem reditura. Interim, ſi valere mavelis,

RESIPISCE.

FOLGER LIBRARY...

BREF

ſonus exauditur in templo Dei. Tu vero, ô bone, Eccleſiam Dei ſanctam impleri vis clangore tubarum, ictibus cædentium, morientium eiulatibus. Audi, ergo, demùm, tu, qui mortalium omnium iudicia ſuperbe refugis, quod, olim, Robertus noſter ſanctus pariter et doctus Lincolnienſis Epiſcopus præceſſori tuo feciſſe dicitur, id ego tibi nunc facio: Fas mihi ſit indicere tibi verendum omnipotentis Dei Tribunal, pro quo tremens horrenſq; tibi anima brevi ſiſtetur, ſanguinolenti iſtius conſilii rationem reditura. Interim, ſi valere mavelis,

RESIPISCE.

FOLGER LIBRARY...

BREF

BREF DE N. S. PERE LE PAPE AV ROY.

Sur la prise de la Rochelle.

Avec la traduction en Francois.

A PARIS,
Chez EDME MARTIN, ruë S. *Jaques*, au Soleil d'or.

M. DC. XXIX.

AVEC PERMISSION.

VRBANVS PP. VIII:

CHARISSIME *in Christo fili noster Salutem & Apostolicam benedictionem. Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum, videat peccator & irascatur, & Synagoga Satanæ contabescat. Militat Rex Christianissimus pro Religione, militat Deus exercituum pro Rege. Nos certè in hac orbis patria sacro gaudio triumphamus, gratulamur Maiestati tuæ victoriam, cuius trophæa constituuntur in cælo, cuius gloriam generatio ventura nunquam conticescet. Rupellam Arcem non minus obstinatione perfidiæ, quàm naturæ munimentis inexpugnabilem. vidit tandem hæc ætas Regi & B. Petro subditam. Neque sanè quisquam adeò desipit, vt tàm glorioſam palmam acceptam referat felicitati potiùs quam virtuti.*

Diuæ

Diuturnâ tot mensium obsidione docuisti Europam Gallicis legionibus te regnante debere non minorem constantiæ laudem quàm celeritatis. Tibi autem periculorum contemptu & incommodorum patientia clarè victor exercitus vitam devovet, & perfectum profligatæ hæresis triumphum auguratur. Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ Oceani militantis obsessis perduellibus, mors deditione potior videbatur, ad ipsa Maiestatis tuæ castra cuniculos egit perfidia. Omnino dilatavit os suum infernus evomens scelerum & periculorum turmas, ne tam opulentum propugnaculum impietati eriperetur. Stetit Dominus à dextris tuis, non modò devicisti hostium copias, sed ipsi etiam etiam auxiliari Oceano potuisti frænum iniicere. Gratias agamus omnes Omnipotenti, qui eripuit te de contradictionibus populi non credentis. Ceterùm cùm scias qua cura custodiendi sint victoriarum fructus ne marcescant, nemo est qui ambigat à te reliquias omnes hæreticorum in Gallica vinea stabulantiũ propediem profligatum iri. Diadema hoc perfecti decoris imponi cupit Ecclesia illi galeæ salutis, qua armatum Maiestatis tuæ caput ipse protegere videtur Dominus potens in prælio. Speramus enim fore vt Gallia omni pacata illaces-

illuceſcant coruſcationes LVDOVICI *triumphatoris captivæ Filiæ Sion Francica trophæa commemoranti & intuenti ſplendorem fulgurantis haſtæ tuæ. Vota noſtra atque Catholicæ Eccleſiæ ſecundet Deus, qui voluntatem timentium ſe faciet. Interea Nuntius noſter qui regalis gloriæ ſpectator in caſtris adfuit, luculentus erit Pontificiæ gratulationis interpres Maieſtati tuæ, cui Apoſtolicam benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimo octauo Novembris, anno 1628. Pontificatus ſexto.*

REVE

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, *VIRO INCOMPARABILI*, IOSEPHO HAL EPISCOPO EXONIENSI, *GILBERTVS PRIMROSIVS* S.P.D.

HEV quantum potuit terræ pelagiq́ parari
Hoc quem ciuilea fuderunt sanguine dextra

Gallorum? Sed paci intercedit inurbanæ frontis homo VRBANVS IIX. Pontifex Romanus, qui

Exhalans fœdos fœdo de pectore ructus,

Bullante diro cruore BVLLA, forocibus minacijs venosâ, & læva adulatione tumente, optimo Regi, sed præpopero ac fervido in Martem ingenio, in fidissimos cives, qui nisi fuissent non esset ipse, funesta inflat classica; BREVIQ; grandiloquo & cruento sub Annulo Piscatoris asperrimam studijs belli gentem iterum in brevia & Syrtes civilis, hoc est creperi & periculosissimi belli cerebrosus & imperitus Nauclerus impingit: Nulla Regis, nulla Regionum omnium facile Reginâ.

Quas Sol exoriens curru fugiente vaporat.

Nulla religionis maiore curâ; Sed magis vt Regi & Regno anxias & inexplicabiles sollicitudines conficiat;

vt humanissimos cives, non in piscatoriâ PETRI naviculâ *lentos incurvans gurgite remos* Evangelici hami felici piscatu ex vndosa turbarũ civiliũ salo Piscator hominum humaniter ducat ad salutem, sed in ANTICHRISTI prætoria navi gubernacula tenens, BVLLARVM & BREVIVM enormi harpagone Pyrata nefarius Christianos inhumaniter prædetur ad cædem. Vt solenni Pontificum Romanorum more, quod in Vrbium densis vicis à grassatoribus nocturnis fieri amat, belli facem accensam in vicina regna conijciat, vt bonis civibus ad eum restinguendum undique discurrentibus, ille impune trahat, rapiat, populetur, fœdet, conculcet omnia; Et ardente Christi Ecclesiâ, immanissimi Neronis decessoris sui instar, lætificum cum Spintrijs suis Trojæ pereuntis excidium canat: *sic sua quemque inscribit facies.* Verum

——— Vt multos mensesque diesque,
Non tamen ætatem tempestate hac scelerosi
Lætabuntur.

Nam ecce quàm opportunè, TV PRÆSVL AMPLISSIME, cœlestis & infracti pectoris fervente robore Romanum illum *miserandæ sortis onagrum* in arce Tarpeiâ stabulantem, & sono intempestivo rudentem, stili tui acumine, veluti clavis & fustibus, compescis: Tu bestiæ bipedis è limo & è fimo erepentis lunata cornua elegantis libelli malleo retundis: TV rufo draconi

Ære ciere viros, Martemque accendere campo,

nimis quam bono, incestum & clamosum os suggillas: TV Papam superbientem, & sublime caput cœlo audaci nisu inferentem, cuius ad nutum

Intereunt, labuntur, eunt rursum omnia versum,

modestissimo scripto humilitatem & modestiam doces: TV marculum qui dura robora ferri in Orthodoxorum perniciem

Multorum magnis tuditantium ignibu' tundit,

Cyclopum Polyphemo extorques, & pausam tuditandi facere jubes: TV trepidantia jampridem BABYLONIS

LONIS mœnia à cœnosis magni illius exitialium mendaciorum architecti congesta cœmentarijs.

Qui nihil amplius unquam
Quam commune lutum è paleis, cœnumque aceruum
Rugosi passique senes eadem omnia quærunt,

variorum librorum multis vigiliis feliciter elucubratorum, velut oscillo penduli impetus hactenus arietasti, vexasti, dissipasti: Tandem optimæ notæ libello, non ad ostentationem, sed ad vtilitatem composito, & mitissima responsione, sulphureas omnium calamitatum fornaces, quas NEBVCHADNETSAR Romanus adversus Christi Confessores immitissimo edicto accendi jubet, pro virili tuâ parte à Christi Ecclesiâ prohibes & depellis. TV quos indomitæ illius belluæ Consiliarij atque administri in Danieles nostros Leonum famelicorum dentes exacuunt, verbi divini forfice comprehendis, concutis, & confringis: *Quos ille indocilis pacisque bonique*, omnium malorum Fecialis & Pater Patratus, Principes rerum potentes in arma feralia exequiali & tragico carmine movet et protrudit, TV pacis æternæ præco ab armis discordibus revocas, et ad piam Christi pacem, Christianæque charitatis tranquillum portum fortiter occupandum suasissimæ scriptionis dulci et docto celeusmate fidus celeustes provocas.

FRVSTRA omnia, illum si spectes qui

Nequam & magnus homo, lanionum immanè canes vt

distento & fulmineo rictu Christianorum sanguini inhiat, cuique cibus cadavera, potus cruor est: Quibus dum se ingurgitat, toto orbe Christiano tristibus vlulante plangoribus, ille lætis vlulat triumphis, IO PÆAN, IO TRIVMPHE nobis obganniens, velut

Gallinacen' cum victor se Gallus honestè
Sustulit in digitos, primoresque erigit vngues,

Coquelico canorâ voce in fimeto occinit. Vt illa meretrix purpurata, Martyrum sanguine ebria, quæ Reges quos philtris suis intoxicavit, BVLLARVM aculeatarum majoribus stimulis in cruda adversum Christum

prælia ſuſcitat; vt ille deſperatæ ſalutis homo, peccati & perditionis Filius tuum illud RESIPISCE diſcat, ſpes nulla ſupereſt.

Nam ſi TV hos ſtultos undaſque è gurgite ſalſo
Tollere decreris, ventum prius hamaticum TV
Ventum, inquam, tollas.

Illi enim neque eſt cor quo paveat, neque iecur quo æmet, neque fel quo ſibi iraſcatur, neque frons quâ erubeſcat: Illi Gamiæ, Illis ingluvioſis quibus cingitur raſo capite miniſtris *ſolis vivere fas eſt Occipiti cæco*, & edictis vetare *ne quiſquam hic faxit olusum*, & ſacra capita reprehendat.

Nam vos Romulida vobis ignoſcitis, & qua
Turpia Cerdoni, Papam ſacroſque decebunt
Presbyteros.

At TV, ANTISTES DIGNISSIME, eos liberâ ad VRBANVM reſponſione liberas doces audire voces, & ingratijs diſcere, in Anglia & mutire fas eſſe, & ſine ſcrobe alta voce exclamare, Auriculas Aſini Papam & Cardinales habere.

QVANTVM autem ego fideli erga me amicitiæ tuæ debeam, REVERENDE PATER, quod mihi homini privato tantus eruditione, pietate, dignitate PRÆSVL, Reſponſionem illam inſcribere voluiſti, nec rudi calamo exprimere, nec linguâ inexplanatâ expromere, nec impari mente conſequi poſſim: Scilicet, vt Epiſcopum decet, tui ſemper ſimilis es, id eſt optimus: Honores novos adeptus veterem amicitiam non deponis, & magnus licet ſis, omniumque bonorum votis minor, ad minima te demittis.

QVOD vero electiſſimum ſcriptum meo arbitrio ſtare aut cadere, prodire aut latere, malignâ ignis flammâ extingui, aut præclarâ doctorum luce frui, publici iuris, aut in mei ſolius bonis eſſe iubes, id vero modeſtiæ eſt tuæ, quæ inter multas & claras virtutes quæ in te maximæ ſunt & clariſſimæ, in ſcriptis, in voce, in vultu, in oculis, in compoſito mentis habitu, in totâ viâ tuâ fulgentibus

gentibus micat radijs, *velut inter ignes Luna minores*: Macte ista morum suavitate, quâ aperto vivens ostio, & facta tua omnia ad pietatis & rectæ rationis obrussam exigens, quod vir bonus solet, qui

Iudex ipse sui totum se explorat ad unguem,
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus.

Teque ipsum semper verens, omnium quotquot te novere, quique tuos in scriptis & nitida oratione pellucentes mores vidêre, amorem tibi conciliasti. Macte iterum atque iterum præclaræ eruditionis gloriâ, altissimâ rerum divinarum & humanarum scientiâ, literatissimis variarum disciplinarum monumentis, quibus tibi jure merito iucundi & nervosi Oratoris, Christiani Senecæ, clarissimi & doctissimi Theologi nomen comparasti,

Quod vivet seclis innumerabilibus.

Sed age, eat

Qui dono meus est bonus libellus,
Qui Auro est nobilior novus libellus.

Eat pedibus celer, per Alpium æternis horrentium nivibus juvias rupes, per Appennini ardua & prærupta iuga viam sibi faciat Arcem Sanctangeli velox conscendat conscendat, Angelo Satanæ Vrbi ἐπταλόφῳ securè procul extra teli jactum incubanti in faciem narret, esse in Anglia Episcopos haud paucos qui inhumanæ & infestæ pecori lupæ, sub ovina pelle Regibus & populo Christiano Rumæ horrendæ lac ferinum immulgenti, personam alienam detrahere, bestiam ovium sanguinis sitientem à Christo caulis arcere, Ecclesiæ læta & pura pascua à turpi spumantium aprorum dente & fœdo lutulentarum suum rostro pura & intemerata conservare: Æsopicam corniculam PETRI & PAVLI plumis insolescentem furtivis coloribus nudare, CVCVLI Romani, qui Christianos omnes pro CVRRVCIS habet; ova in ipso Dei Templo posita perfundere; Meretricem Babylonicam Christiani nominis cerussa & minio fucatam traducere: & possint quia doctissimi, & velint quia integerrimi

rimi. Atque vt odor illa morte in mortem sit, quia RESIPISCERE dedidicit, demuntiet vt tota mente atque omnibus artubus contremiscat, appetente jam die illo decretorio, quo ardebit BABYLON, Meretricis magnæ negotiatores & adulteri omnes lugebunt, Diabolus mundi seductor, bestia & Pseudopropheta in stagnum ignis & sulphuris præcipites abibunt, æternas justè irato Numini pœnas daturi; Filiumque perditionis.

Dignus principio exitus, exodiumque sequetur.

Interea temporis veni Domine Iesu, veni; Antichristum se truci efferentem rabie in vnctos tuos comprime: Hostibus tuis, qui asperum paternæ castigationis tuæ vinum nobis plenis cyathis educendum dedere, acinosas & pannosas indignationis tuæ fæces plenis dolijs exhauriendas invitis & reluctantibus porrige. *Captivam Sionis Filiam* ferreo Ægyptiacæ servitutis jugo oppressam liberali causâ manu assere: LVDOVICI Regis fulgentes hastas, coruscantes enses; arma mortali fulgore crispantia, tormentorum bellicorum horrisona fulmina in ipsum Pseudoprophetam, & lutosos BABYLONIS muros converte, vt fatidicum vatem veri nescium sua sibi mala læva mente verè profatum esse pudeat & pœniteat: Ecclesijs transmarinis solidam pacem subdolis ereptam artibus, restitue: Damna nos voti, & hanc qua Major Britannia tuo solius benificio fruitur pacem & tranquillitatem nobis fidam, posteris verò nostris perpetuam præsta. Huic autem aureo libello da vt vivat vigeatque, Antichristo Principum invidiam conflaturus, Ecclesiæ tuæ almam pacem coagmentaturus: Eiusque autori largere benificus, vt vitâ honestissimè & sanctissimè in terris acta, cœlo potiatur, vbi tecum

Immortali ævo summâ cum pace fruatur.

AMEN.

FINIS.

A SPARING DISCOVERIE OF OVR ENGLISH IESVITS,

and of Fa. *Parsons* proceedings vnder pretence of promoting the Catholike faith in *England:*

For a caueat to all true Catholiks, our very louing brethren and friends, how they embrace *such very vncatholike, though Iesuiticall deseignments.*

Eccles. 4.

Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem.

Newly Imprinted.
1601.